I. N. J.

Orationis Micipsæ

in Thesi

# IMITATIO,

quâ moriturus alteros heredes constituit.

Parvos ego vos, Patrueles captum, amissis parentibus, sine spe, sine opibus, prole destitutos, in familiam accepi, vobisq; rerum omnium, quas quidem vita hæc desideravit, copiam suppeditavi, existimans, non minus me vobis, quàm liberis, si genuissem, ob beneficia charum fore. Neq; ea res falsum me habuit. Nam, ut alia magna et egregia pietatis vestræ studia omittam, novissimè ex peregrinis terris, propitiis vialibus, redeuntes, me meamq; familiam magna gloriâ decorâstis, vestrâq; virtute apud exteros mihi ex ignobilis nobilissimos fecistis viros. Quid? Nonne hoc præcipuè in honorem familiæ meæ vergere videtur, quod, licet inter mortales sit difficillimum, gloriâ invidiam omnem vincere didicistis? Nunc quoniam mihi morbis atq; ætate confecto natura finem vitæ facit, per Deum, perq; hanc dexteram vos moneo obtestorq;, ut vos, qui genere mihi propinqui, beneficio meo fratres estis, charos habeatis, neu malitis alienos adjungere, quàm sanguine conjunctos retinere. Nam non thesauri præsidia familiæ sunt, verùm fides et concordia, quam neq; ulla vi, neq; fraude frangere queatis: Mutuo amore stabilia familiæ parantur. Quod autem firmius fulcrum familiæ concordiâ et fide, aut qua magis tuta invenietur familia, quam concors. Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ dilabuntur maximæ. Firma itaq; atq; tuta erunt vobis illa, quæ hæreditate vobis adeunda relinquo, si conjunctis semper animis conjunctisq; eritis sententiis: Sin verò dissensiones inter vos intercedent, imbecillia.

Cat.